



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. j. De substantia categorica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

accidentalibus; quibus tamen conuenit definitio substantiæ, prout præscinditur à completa & incompleta. Ex quibus ad totam rationem dubitandi nihil superesse videtur quod egeat resolutione.

QVÆSTIO IV.

De nouem categoriis absolutis.

Absolutas voco categorias omnes, præter relationem, etsi certum mihi sit, plures ex illis esse relatiua transcendentalia, quod non impedit, quin dici possint etiam absolutæ, ut distinguantur à relatione categorica, quæ tota respectiua est. De nouem ergo illis generibus categoricis pauca quædam duntaxat supersunt, quæ dicenda esse videantur post ea quæ de illis disputata sunt alibi.

SECTIO I.

De substantia categorica.

Non considero hîc propriam rationem substantiæ, quam nuper exposui quantum satis erat, prout differt ab accidente, dictaque substantia est, prout substat accidentibus, vel prout subsistit per se, idest prout exigit esse in se omnino completa & terminata. Proprietates eius enumerantur aliquæ à Philosopho, in quibus non est difficultas huius loci propria: non esse in subiecto inhaesionis completo, quæ proprietates non est, sed primus conceptus substantiæ: vniucocè ac essentialiter prædicari de primis substantiis, idest de indiuiduis, quod solius secundæ substantiæ, idest generum & specierum proprium est, ut patet: significare hoc aliquid, idest substantiam aliquam completam singularem, quod soli conuenit primæ substantiæ: non habere contrarium, quia substantia subiectum non habet; contraria verò dicuntur, quæ ab eodem subiecto se mutuo expellunt: non suscipere magis & minus, idest non intendi, nec remitti, quod disputatum est in Physica, tractatu 3, suscipere posse contraria, v.g. calorem & frigus successiue.

De substantia itaque solùm hîc disputo, prout est categoria, siue prout est summum genus, sub quo dispositæ sunt plures species vsque ad indiuiduum; & quæro primum, quid sit substantia illa, quæ in hac categoria est summum genus: secundò, quomodo illa diuidatur in primam & secundam substantiam; qualis diuisio illa sit, & quodnam in ea sit totum diuisum.

Ratio verò dubitandi est primò, quia quando definitur prima substantia, vel definitur aliquid commune, vel aliquid singulare. Si definitur aliquid commune: ergo non definitur prima substantia, quæ significat singulare; sed definitur secunda, quæ significat substantiam vniuersalem. Si definitur aliquid singulare: ergo illa definitio non est communis omnibus primis substantiis.

Secundò illa diuisio substantiæ in primam & secundam, non videtur esse adæquata, quia partes substantiæ, v.g. manus & caput, neque sunt in subiecto, neque dicuntur de subiecto; idè substantiæ sunt, non primæ, neque secundæ: ergo

A diuisio hæc non valet, neque Aristoteles rectè definiuit primam substantiam.

Tertio si bona est hæc diuisio substantiæ in singularem & vniuersalem; substantia quæ diuiditur in hæc duo membra, est substantia summum genus in hac categoria: hoc autem absurdum est, quia tunc vitiosa est diuisio, quando totum diuisum est vnum ex membris diuisionis; alioqui totum erit æquale suæ parti; sed in diuisione substantiæ prædicamentalis, & genericæ in primam & secundam, totum diuisum est vnum ex membris diuisionis, quia secundæ substantiæ sunt genera & species: totum autem quod diuiditur, est genus ad membra diuisionis: ergo totum quod diuiditur est vnum ex membris, in quæ diuiditur; sicque aliquid diuiditur in seipsum, & in aliud aliquid: quo nihil dici potest absurdius.

Dico primò, substantiam prædicamentalem, siue summum genus in categoria substantiæ, esse substantiam completam, & finitam essentialiter.

Summum genus huius categoriæ.

Ratio est, quia illa sola vniucocè prædicari potest de suis inferioribus; substantia verò, quæ præscinditur à completa & incompleta, ab infinita & finita, solùm analogicè communis est, ut satis probatum est questione prima: quod non impedit, quin Christus Dominus, quatenus homo, ponatur in categoria; non enim hinc sequitur, quod personalitas Verbi secundum se sit ens categoricum, sed tantum ratione humanæ naturæ, cui est vnita in vnitatem personæ. Vnde neque hinc sequitur, quod Deus, ut Deus, sit in prædicamento.

Dico secundò. Diuisio substantiæ in primam & secundam, idest in singularem & vniuersalem, non est diuisio generis in duas species, sed est diuisio subiecti in duo accidentia, quorum vnum est reale, alterum intentionale.

Diuisio substantiæ in primam & secundam.

Ratio est, quia tunc non est diuisio generis in species, sed subiecti solùm in accidentia, quando differentie membrorum diuidentium non sunt essentielles, sed accidentales & toti diuiso, & membris diuisis: sed singularitas & vniuersalitas, quæ constituunt substantiam primam & secundam, sunt accidentales substantiæ, quæ diuiditur, & substantiæ singulari ac vniuersali, quæ sunt membra diuidentia; natura enim secundum se nec est singularis, nec vniuersalis; singularitas enim, & vniuersalitas sunt extra conceptum naturæ: ergo diuisio substantiæ in primam & secundam est diuisio subiecti in duo accidentia, quorum alterum, nempe singularitas, est reale, quia conuenit naturæ per operationem intellectus; alterum, nempe vniuersalitas, est intentionale, quia conuenit illi per intellectum, etiam, ut probabam aliàs, sit etiam reale, sed extrinsecè ac denominatiue. Est igitur diuisio ista similis ferè isti alteri hominum, *Alij sunt albi, alij nigri*.

E Dico tertio. In hac diuisione totum diuisum non est substantia summum genus in hac categoria, sed est substantia completa, prout præscinditur ab existentia, vel ab actuali substantia.

Totum diuisum in hac diuisione.

Ratio est, quia substantia summum genus prædicatur essentialiter de suis inferioribus: substantia quæ diuiditur in primam & secundam, non prædicatur essentialiter, cum existere singulariter, aut vniuersaliter, accidentia sint substantiæ.

aut

ant etiam actu subsistere primario, aut secundo: ergo totum quod in ea membra diuiditur, non est substantia prædicamentalis, & generica.

Solutio prima.

Ad primam respondeo, quod quando definitur prima substantia, non definitur aliquid simpliciter singulare; sed aliquid commune secundum rationem communem singularitatis, non autem propterea hoc, vel illud singulare: sicut datur una definitio individui communis omnibus individuis.

Solutio secunda.

Ad secundam sæpè dictum est, quod sola substantia completa diuiditur in primam & secundam, ac proinde partes substantiæ completæ, cuiusmodi sunt caput, pes, digitus, non sunt primæ substantiæ.

Solutio tertia.

Ad tertiam respondeo, probatum esse, quod substantia summum genus in hac categoria non est totum quod diuiditur in primam & secundam substantiam: unde totum corrumpit argumentum, quod inferebat vitiosam esse diuisionem; quia totum quod diuiditur, est genus; & membrum in quod diuiditur, est genus, sicque pars erit æqualis toti. Hoc autem locum non habet posito quod hæc sit diuisio subiecti tantum in accidentia, quia secunda substantia, quæ membrum est diuisionis, significat substantiam vniuersalem, quæ sit genus aut species, id est, quæ prædicetur in quid & essentialiter de suis inferioribus: non autem significat substantiam vniuersalem, quæ prædicetur accidentaliter, & in quale de inferioribus, cuiusmodi est substantia quæ diuiditur in primam & secundam.

Quamquam etiam aliunde vitiosum esset argumentum, cuius ista est maior: Tunc vitiosa est diuisio, quando totum diuisum est vnum ex membris diuidentibus; simili enim argumento probaretur, quod vniuersale diuidi non potest in genus & speciem; si enim diuiditur, est genus, quod est vnum ex membris diuisionis. Respondendam enim in Logica, tunc diuisionem esse vitiosam, quando membrum diuidens est totum diuisum sub eadem formalitate; si autem sit idem sub diuersa formalitate, tunc vitiosam non esse diuisionem; nam vniuersale totum est diuisum, & sub altera est membrum diuidens. Idem dici posset de prima & secunda substantia, si diuisio illa esset generis in species.

SECTIO II.

De prædicamento quantitatis.

Quantitatem, rem in natura omnium oculis maximè aspectabilem, & tamen maximè reconditam, & inexplicabilem, tradidi 3. *Physicorum*: nunc categoricam coordinationem illius hic solum propono, & explico, quale sit genus in hac categoria, quanam eius species, quanam proprietates.

Prima dubitatio.

Ratio enim dubitandi primò est, quia Philosophus quantitatem diuidit in continuam & discretam, permanentem & successiuam: non apparet autem quomodo numerus, seu quantitas discreta, & tempus ac motus, seu quantitas continua, dici possunt quantitates, cum quantitas definiti debeat accidens extensiuum localiter impenetrabiliter.

Secunda dubitatio.

Secundò, non videtur etiam posse diuidi quantitatem in lineam, superficiem, & corpus; nam in

hac diuisione species se mutuo includunt; superficies enim est longitudo & latitudo: ergo includit lineam: & corpus est longitudo, latitudo, & profunditas: ergo includit lineam, & superficiem.

Dico primò. Quantitas prædicamentalis est sola quantitas continua, permanens; quantitas autem discreta, & quantitas successiuæ, non pertinent ad hanc categoriam.

Obserua multas solere afferri diuisiones quantitatis, primò enim diuiditur in quantitatem molis, & quantitatem virtutis. Quantitas molis est, per quam substantiæ sunt extensæ localiter, & habent æqualitatem aut inæqualitatem, magnitudinem aut paritatem. Quantitas virtutis significat gradum aliquem perfectionis aut essentia: sic enim meritò appellatur Deus magnus, non mole, sed virtute, eo quod sit omnis perfectio suæ vlllo termino. Secundò diuiditur in continuam, & discretam. Continua est, cuius partes communi termino copulantur, vt partes alicuius corporis: discreta, cuius partes nullo copulantur termino communi, cuiusmodi sunt partes numeri aut orationis. Tertiò, quantitas continua diuiditur in permanentem, & successiuam. Permanens est cuius partes omnes sunt simul: successiuæ cuius partes esse non possunt simul, vt partes temporis & motus. Quartò, quantitas permanens diuiditur in lineam, superficiem & corpus.

Linea est longitudo expers latitudinis & profunditatis: superficies est longitudo & latitudo expers profunditatis: corpus est longitudo, latitudo & profunditas. Dixi ergo summum genus in hac categoria esse solam quantitatem continuam, & permanentem; numerum autem & tempus ab ea excludi.

Ratio est, quia illa sola quantitas pertinet ad hanc categoriam, cui soli conuenit definitio propria quantitatis, quæ definitur accidens extensiuum substantiæ localiter, & impenetrabiliter: sola quantitas continua & permanens est huiusmodi accidens, non autem numerus & tempus, vt patet: ergo sola quantitas continua & permanens est summum genus huius categoriæ.

Dico secundò. Quantitas summum genus huius categoriæ bene diuiditur in lineam, superficiem & corpus, quæ licet materialiter se includant, non se includunt tamen formaliter.

Obserua primò, longitudinem quantitatis diuidentem posse concipi solam sine latitudine ac profunditate. Primò ita vt illas neget: secundò ita vt illas non neget, sed cogitetur tantum illis non cogitatis, per abstractionem scilicet prædictam. Quando linea definitur longitudo sine latitudine ac profunditate, intelligitur longitudo propterea illas negat, non autem longitudo propterea ab illis abstrahitur. Eodem modo superficies negat profunditatem, quando dicitur longitudo & latitudo expers profunditatis; nam longitudo, quæ est in superficie, potest quidem abstrahi à latitudine, sed non potest illam negare: & latitudo, quæ est in corpore, abstrahi potest à profunditate, non autem illam negare.

Obserua secundò, speciem vnam quantitatis, v.g. lineam, posse considerari vel materialiter, vel formaliter. Tunc consideratur materialiter, quando consideratur secundum solam entitatem v.g. entitas ipsa, & longitudo lineæ includitur in superficie, sicut binarius est in ternario secundum